

S. Congreg. Concilii in verbis: *Concilium non jubere, sed quando facienda erit Electio, ser-*

vandam esse formam dicti cap. prout refert Fa-
gnan. ad cap. nullus de Elect. n. 52. & seqq.

QUÆSTIO XXX.

A quonam Abbates Regulares sint benedicendi?

173 **P**Lenè & planè definita est hæc dubitatio à Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. qui, discussò prius negotiò in Congregatione particulari S. R. E. Cardinalium, & aliquorum Romanæ Curie Prælatorum, in Concilio Romano pridie nonas Maji 1725. constitutionem edidit, quæ incipit: *commisisti &c.* Ejus verba, ad rem facientia, sunt, ut sequitur.

174 Cum itaque, sicut accepimus, Abbates Regulares perpetui, non quidem ratione tituli, quia ad triennium, vel sexennium, aut aliud limitatum tempus eliguntur, sed ratione administrationis, quia ab unius Monasterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab Episcopis, in quorum Diocæsi sita sunt Monasteria, benedictionem obtinere, imò & petere negligant; Hinc est, quòd Nos gravi ejusmodi abusu pro Pastoralis officii debito opportunè consulere, ac providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot insuper Romanæ Curie Prælatorum super hoc à Nobis specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati in præfenti Sacro Concilio congregatis; nec non motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione injungimus, præcipimus, & districtè mandamus omnibus, & singulis Abbatibus Regularibus, licet perpetuis solummodò ratione administrationis, ut præfertur, qui Monasteriis cujuscunque Ordinis, Congregationis, ac Instituti de cætero præficientur, ut infra annum à die eorum electionis computandum solemnem benedictionem ab Episcopis, in quorum Diocæsi sita sunt Monasteria, juxta Ritum, in Pontificali Romano præscriptum, omninò suscipiant; vel saltem eam ter ab ipsis humiliter postulent, servata forma sancita in cap. *statuimus de Supplen. neglig. Prælator.* Quòd si fecerint, ab officio per annum sint ipso jure suspensi. Volumus tamen, & expresse declaramus, quòd ipsimet Abbates electi, durante præfato termino, ac interim omnia munia Abbatialis liberè, ac licetè exercere possint, & valeant; Quòdque Abbas semel benedictus iterum benedictionem petere, vel obtinere non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum Monasteriorum, aliarumque Diocesium, translatus extiterit.

Quoniam verò nonnulli ex prædictis Abbatibus Regularibus, Apostolicis, ut asseritur, muniti sunt privilegiis, quibus ampla ipsis tribuitur facultas suscipiendi benedictionem

à quocunque, quem maluerint, Catholico Antistite, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente; Nos justis, & rationabilibus adducti rationibus, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, statum, atque decernimus, ut ejusmodi Abbates imposterum non à quocunque Antistite, sed à Diocæsano tantum Episcopo, vel à Metropolitano, infra prædictum terminum benedictionem omninò suscipere teneantur; Et quatenus ille, quem Abbas elegerit, tertio humiliter requisitus ipsi petitam benedictionem impertiri detrectet, aut negligat, tunc, & eo duntaxat casu, eandem benedictionem à quocunque Catholico Antistite Abbas liberè suscipere possit, & valeat, ac ita perpetuis futuris temporibus ubique servari volumus, & mandamus.

Cæterum ejusmodi indulta exemptiva ab obligatione suscipiendi benedictionem à proprio Episcopo illis duntaxat Abbatibus, quibus ab Apostolica Sede directè concessa fuerunt, juxta modum supra expressum, suffragentur: Reliquis autem Abbatibus, qui ex generali tantum Privilegiorum aliis Ordinibus, Congregationibus, vel Institutis concessorum communicatione sibi competere prætendunt, minimè suffragari posse, nec debere decernimus, & declaramus.

Quovèrò ad Abbates, quibus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris indultum fuit, ut à suis Superioribus Regularibus, vel ab eorum Prælati delegatis, benedictionem sumere possint: vel etiam per speciale indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omninò innovandum esse sancimus, & Apostolica, quibus gaudent, Privilegia ubique inconcussè observari præcipimus, & mandamus.

Universos demum Episcopos, atque etiam Archi-Episcopos, à quibus benedictio tribuenda erit, eorumque Officiales, Assistentes, & Ministros quoscunque in Domino hortamur, ac admonemus, ut occasione similium benedictionum excutiant, ac prorsus emundent manus suas ab omni munere; quin etiam prædictis Præsulibus sub poena interdicti ab usu Pontificalium per annum vetamus, ac inhibemus, ne tam ante, quam post easdem benedictiones, earumque intuitu, cujuscunque generis, aut speciei, etiam bellariorum, & comestibilium munera, & xenia, à quoquam recipere audeant; illisque prætereà districtè injungimus, ut ab omni abstineant solemni pompa, quæ sumptus, quantumvis modicos, etiam prandii, secum fer-

rat,

rat; cum ejusmodi sacræ functiones ab interna, solidaque potius Benedictientium, ac Benedicendorum religione, & pietate,

quàm ab externa, & vana apparatus magnificentia debeant commendari. Decernentes præfentes literas &c.

AD CAPUT II.
De Postulatione.

SUMMARIA.

1. & 2. Coadjutor Episcopi non debet postulari, sed eligi. 3. Etiam si prius fuisset Episcopus, postea vero Episcopatum resignaverit. 4. Utrum in postulatione sit locus quasi inspirationi? Ratio dubitandi. 5. An servandum rigorosum scrutinium? Eadem ratio dubitandi. 6. Resp. ad primam. 7. & seq. Resp. ad alteram. 8. & seq. In postulatione, concurrente electione, requiruntur duo certia. 11. Alias pravales electio, facta ab una tertia. 12. & seq. Nec requiritur unum votum

supra tertiam. 14. Etiam si aliqua electorum vota dispergantur. 15. & seq. Procediturque etiam, quando postulantes scienter postularunt indignum. 17. Secus, quando ignoranter fecerunt. 18. & seq. Si electus ne quidem unam tertiam habeat, postulatus à majori parte pravales. 20. Si Capitulares sint viginti, septem faciunt unam tertiam. 21. & seqq. In concursu electionis & postulationis tam electus quàm postulatus debet publicari; aliis datur locus appellationi.

QUÆSTIO I.

An Coadjutor perpetuus Episcopi ad Episcopatum alterius Ecclesiæ eligi vel postulari debeat?

1 **R**esp. esse eligendum, non postulandum. Ratio est: quia, si quid obstatet Coadjutori, quò minus eligi posset, esset aliquod vinculum, quod contraxisset cum Ecclesia, cui per confirmationem Apostolicam fuisset desponsatus. Atqui vinculum tale non habet Coadjutor: neque enim est verus Episcopus, ex quo duo Episcopi ejusdem Ecclesiæ simul & semel esse nequeunt, ut animadvertit Rota post Remocamp. de Coadjutor. decis. 16. num. 12. & seq. Neque etiam verum aliquod beneficium Ecclesiasticum, sed jus tantum ad illud obtinet ex nunc pro tunc, quod, licet juxta nostram sententiam reale sit, non tamen esse actuale, sed habituale duntaxat,

constat ex dictis de Coadjutor. perpet. consult. 13. à n. 15. & firmatur ab Eminentiſſ. Petra ad Constitut. Apostol. rom. 5. pag. 36. sub num. 52. adeoque nil obstat Coadjutori perpetuo, quò minus ad Episcopatum alterius Ecclesiæ possit eligi.

Neque aliud dicerem, si Coadjutor antea jam fuisset verus & consecratus Episcopus, postea verò, dum Coadjutoriam acquisivit, Episcopatum præhabitu dimisit: liquidem in ea hypothese quoad priorem Ecclesiam, jam dimissam, refert figuram & indolem Episcopi resignati, quem eligi posse, demonstratum est in hoc cap. 2. n. 72. & seq.

QUÆSTIO II.

Num in Postulatione locus sit quasi - inspirationi, aut rigoroso scrutinio?

4 **U**trumque defendi in hoc cap. à num. 113. quod tamen utrumque impugnat Matthea de Consistorial. caus. sect. 21. num. 31. & seqq. Et quidem contra quasi-inspirationem, quòd locus non habeat, opponit: quia Postulatio in se continet conditionem, arbitrio Papæ, seu alterius Superioris, qui illam admittere vel rejicere potest, subjectam; inspiratio autem Spiritus Sancti non potest esse conditionata, & pendere ab alterius arbitrio, juxta illud: *Spiritus, ubi vult, spirat. Joann. 3. & Verbum DEI non est alligatum. 2. ad Timoth. cap. 2.* Contra rigorosum scrutinium objicit: quia in cap. quia propter 42. de Elect. fit tantum mentio de electione, & per

consequens noviter ibidem statuta non sunt necessariò trahenda ad Postulationem: si enim Concilium voluisset, ut talis forma servaretur etiam in Postulatione, id expressisset arg. cap. inter corporalia 2. de Translat. Episcopi sicut observatum fuit tum in cap. statuimus 1. de Elect. in 6. ubi mensis, datus ad opponendum contra electionem, currere quoque dicitur in Postulatione; tum in cap. in electionibus 2. eod. in 6. ubi prohibitio dandi vota alternativa in electionibus extenditur etiam ad Postulationem; tum in cap. cupientes 16. d. 1. in 6. ubi, quod ab initio de præfatione electionis statuitur, in §. denique ad Postulationem porrigitur.

I 2

Nihil:

6 Nihilominus ejus momenti hæc opposi-
tiones non esse existimo, ut à priori me sen-
tentia dimoveant. Nam quoad primam po-
test responderi, etiam postulationem, per
quasi- inspirationem factam, non pendere
ab arbitrio Superioris, ut ab eo admittatur,
vel rejiciatur, sed tantum, ut cognoscatur,
an verè per quasi- inspirationem acciderit.
Postulatio, nullaque fraus intervenerit: si-
cut enim electionem, eò modò peractam,
à confirmatione dicimus exemptam; sic &
de postulationis admissione ex paritate ratio-
nis concludere licet.

7 Quoad alteram Resp. ex num. 3. hujus
cap. inter Postulationem & electionem tam
propinquam intercedere affinitatem, ut,

QUÆSTIO III.

*Quot Vota requirantur pro electo vel postulato, quando electio
concurrit cum postulatione?*

8 Diximus in hoc cap. num. 123. quòd in si-
milli concursu pro postulato requirantur
duæ tertias, sique ex 24. sexdecim vota per
textum famolum in cap. scriptum est 40. de
Elect. ubi per duplo majorem numerum, pro
postulato desideratum, Interpretes commu-
niter intelligunt duas tertias cum Panormi-
tano ibid. num. 7. & 13. Rationem dat

hic Author in num. 14. quia potentia Capi-
tularis seu Universitatis, quæ favet postula-
to, consistit in duabus partibus: unde in ter-
tia parte, quæ suffragatur electo, non est

11 aliqua virtus Capitularis. Quòd si postu-
latus non habeat duas tertias, addit verò alius,
qui fuerit electus ab una tertia, illius electio,
reprobata Postulatione, erit confirmanda:
juxta cit. textum; qui quidem in hoc passu
exorbitat à Jure Communi, quòd electus, in
quem major pars non consensit, confirmari
debeat; ex eo tamen, quòd electio propius
accedat Juri Communi, quàm postulatio,
per quam Jus infringitur, & relaxatur, pos-
tulationi præfertur. Abbas d. l. num. 14.

12 Et quamvis multi in tali casu exigant, ut ele-
ctus habeat unum votum supra unam tertiam,
veluti videre est apud Barbosam in Collectan.
ibid. num. 1. P. Wiestner ad cit. de Postulat.
num. 3. P. Reiffenstuel ad eund. cit. n. 159.

13 Quia tamen in cit. textu jubetur confirmari
electio, facta à parte tertia, absque eo, quòd
aliquid de voto adjecto supra tertiam partem
exprimatur; ac præterea satis credibile vide-
tur, omnes, qui tunc ad assumptionem novi
Prælati conveniant, fuisse quadraginta octo,
ex quibus sedecim elegerunt: hinc, inhæren-
dò textui, admodum probabile judico, unam

14 tertiam sufficere. Quin &, si ex illis, qui
eligunt, non omnes convenient in unam
personam, sed vota in plures dispergantur,
electionem prævalere censeo, si unus ex ele-
ctis habeat pro se unam tertiam; veluti elu-
cescit ex casu electionis Colonienfis, à no-
vam electoribus in personam Josephi Cle-

quæ disponuntur de una, cæteris paribus di-
sposta similiter censeantur de altera, absque
eo, quòd novâ expressione aut extensione
opus sit. Idque ex in adversum allegatis
cap. statumimus 1. & cap. in electionis 2. non pa-
rum roboratur, ubi Pontifex unâ locutione
postulationem & electionem conjungit; ut
& ex cap. cupientes 16. ubi ab initio propterea
loquitur de electione: quia quoad præsentia-
tionem, expensas, & alia ibidem enume-
rata discrimen est inter postulationem &
electionem; indeque in §. denique specia-
liter exprimendum erat, an & quatenus
una ab altera quoad hæc puncta differat,
aut cum ea conveniat. Conferantur dicta
in hoc cap. à n. 146.

mentis p. m. anno 1688. directæ, quæ, re-
probata postulatione, à tredecim ex 24. Ca-
pitularibus facta, à Sede Apostolica fuit con-
firmata, licet duo alii de Capitulo alios duos
elegerint.

Idem quoque dicendum erit, quando
omnes ex postulantibus aut major pars scien-
ter postulantur indignum: nam & hoc quoque
casu S. Pontifex in cit. cap. scriptum est 40. in f.
mandat electionem (id est, ab una tertia ce-
lebratam) confirmari, si eam de persona idonea
constiterit esse celebratam. Cujus insuper
alia ratio reddi potest: quia, si etiam electo-
res eligant scienter indignum, pro ea vice
jure eligendi privantur, & tota potestas ad
partem innocentem, quantumcunque parva
sit, devolvitur, uti supra in cap. 1. num. 86. &
segg. explanatum est.

Aliud verò tenendum, quando duæ ter-
tia ignoranter postulantur indignum: quip-
pe S. Pontifex in sæpe cit. cap. §. si verò tam
postulationem quàm electionem reprobari
præcipit: quia, dum duæ partes postulan-
tium non sunt jure suo ob ignorantiam pri-
vatæ, tota potestas Capitularis non cen-
setur residere in minori, uti ratiocinatur Ab-
bas d. num. 14.

Quid autem sentiendum sit, quando in
postulatum non convenerunt duæ tertias, sed
major pars; electus autem ne unam quidem
tertiam pro se habuit? Apud Autores, quos
studiosè evolvi, invenire non potui. Crede-
rem tamen, erroris haud arguendum fore,
qui postulatum à majori parte præferret:
cum enim dispositio cit. cap. scriptum est sit pro-
fus singularis, atque extra tenorem & con-
textum suum non dilatanda, prout non se-
mel indicat ibid. Panormitanus; subintrare
videtur communis Juris regula, ea, quæ à
majori parte sunt acta, perinde censeari, at-
que si à tota Universitate fuissent conclusa.

Illud dubium: quot vota debeat habere
electus, si ex viginti Capitularibus aliqui eli-
gant,

gant, alii postulent? Nullum apud me dif-
ficultatem patitur, utpote qui septem vota
sufficere, penitus mihi persuasum habeo:
sive enim dicatur, quòd electus debeat ha-
bere unum votum ultra unam tertiam, sive
admittatur una tertia, septem vota ex vi-

ginti Capitularibus sufficere debent: hoc ip-
sò siquidem, quòd v. g. tredecim vota, pro
postulato militancia, non constituent duas
tertias, suapte sponte consequitur, ex sep-
tem votis, in electum collatis, confici plura
quàm unam tertiam.

QUÆSTIO IV.

*Utrum in concursu electionis & postulationis æquè electus ac postulatus
ab uno ex Scrutatoribus publicari debeant?*

21 Resp. affirmativè. Nam quia vi cap. quia
propter 42. de Elect. Scrutatores vota can-
diorum exquirere, & in scriptis redacta mox pu-
blicare in communi tenentur; tenentur pari-
formiter publicare, & exprimere, quotnam
quisque vota sortitus fuerit, sive eligi, sive
postulari debeat. Unde, si Scrutatores id
facere recusarent, non minùs ad publicatio-
nem votorum, quæ suffragantur postulato,
atque eorum, quæ sunt pro electo, possent
compelli per cap. publicatio 58. de Elect. P. Pir-

hing de Elect. num. 174. facta provocatione
ad Superiorem, ad quem spectat electionis
confirmatio. Joan. Andreas ad cit. cap. n. 27.
Fagnanus ibid. num. 3. Pirhing d. l. Et, si
in publicatione votorum solummodò dice-
rent, majora vota in postulatum cecidisse,
nihil dicendò de una tertia, quam reportavit
electus, nullum hic præjudicium haberet:
timendum: utpote cum recursum, ad Superio-
rem, ut dixi, acceptò, per eum reformari pos-
sit, quod à Scrutatoribus erat peccatum.

AD CAPUT III. De Translatione.

SUMMARIA.

1. Ad Translationem requiritur causa. 2. Quan-
doque sufficiunt merita persona. 3. & 4. Utrum
sit aliqua differentia inter merita & alias

causas? 5. & segg. An possit Episcopus invitu-
sus transferri sine causa? Refertur sententia
Matta.

QUÆSTIO I.

Quales causæ requirantur ad Translationem?

1 D Uas in genere causas ad justiciam Trans-
lationis requisivi in præf. cap. numer. 40.
& segg. necessitatem videlicet & utilitatem,
quarum utraque videtur respicere locum,
ad quem fit Translatio, prout studiosè no-
tavit Matta de Consistorial. caus. Sect. 14. n. 12.
2 Posse tamen fieri subinde Translationem ob
merita personæ de una Ecclesia ad aliam,
cum Abbate in cap. cum nobis de Elect. num. 5.

Idem ibid. adstruit. Differentiam inde
notabilem ponit cit. Abbas, quòd nempe, si
Translatio fiat ob merita personæ, Ecclesia
non vacet, nisi à die præstiti consensûs; sin
verò ob necessitatem aut utilitatem Eccle-
siæ decernatur, Ecclesia statim vacet à die
Translationis ad secundam. Verum
cit. Matta n. 19. magis inclinat in sententiâ Ro-
mæ, quam retuli, & defendi in hoc ipso c. à n. 65.

QUÆSTIO II.

An aliquis invitatus possit transferri ab una Ecclesia ad aliam?

1 S ententiam, quæ tenet, Episcopum invitum
transferri posse à Papa, etiam sine causa,
valde duram pronuntiat Matta cit. l. nu-
mer. 22. eaque à nobis in alleg. hoc cap.
6 num. 50. electa non fuit. Eveniente pro-
inde casu, quò Episcopum de aliam Eccle-

siam transferri expediret, Matta cit. l. n. 23.
credit, eum opportunis Juris remediis ad
præstationem consensûs fore cogendum,
prout servatum se vidisse testatur, quando ad
dimittendam Ecclesiam legitimæ causæ ex-
tabant.

AD CAPUT IV.

De Nominatione.

SUMMARI A.

1. & 2. Inducitur differentia, quam habet *Matta*, inter nominationem & presentationem. 3. Infirmitas nostra. 4. & seqq. Confirmatur ex doctrina D. de Santis. 8. & seqq. In nominandis desideratur aliquis Gradus Academicus.

10. & seqq. Prævid rigorosè examine. 12. & seqq. Debet etiam nominandus esse exercitatus in dogmatibus fidei, & in hac materia non suspectus; allegatè enim in finem exempli non adeo antiquo.

QUÆSTIO I.

An Nominatio differat à presentatione?

1. Differentiam inter Nominationem & presentationem assignat *Matta* de *Constitutional. caus. sèl.* 17. num. 6. quod, qui nominandi gaudet facultate, tempore vacationis unum tantum nominare possit, non autem plures; qui nominatus, si recusetur à Papa, tunc alterum nominare possit, ac proinde nominare secundum nequeat, nisi à die recusationis primi; & si secundus etiam fuerit reprobatus, tertium nominare haud liceat: cum econtra, qui habet facultatem præsentandi, plures præsentare valeat, cumulatim tamen, non recedendò à primo; & si plures præsentaverit, cæteris paribus detur locus gratificationi; aliàs, qui potior seu primò locò præsentatus est, præferri debeat.

2. Verùm hæc differentia plurimum differt à nostra tum synonymia tum definitione Nominationis, in hoc cap. à num. 3. exposita, cujus æquè in Nominatione quàm præsentatione plures cumulatim assumere concessum est. Idèoque Illustriss. D. Antonius Flavius de Santis in *Exam. Consistor. cap. 13. num. 76.* non tantum nobiscum sentit, nostramque definitionem probat, sed etiam, quod *Matta* doctrina subsistere non videatur, asserit; solumque inter nominatum & præsentatum discrimen in eo considerari posse, admittit, quod, si habens jus nominandi plures nomi-

net, primò nominatus, si aliàs sit idoneus, præferatur, ut in terminis *Concordat. Franc. Rebuffus tit. de Reg. Pralat. nominat. lit. c. §. 1. vers. et si nominaveris duos simul &c.* & generaliter in cap. quorundam de *Elect. in 6. Felin. in cap. cum dilecta n. §. de Rescript. Fagnan. in cap. bona memoria de Postulat. Pralat. num. 70.* at in præsentatione, cumulatim facta, si præsentati omnes sint æquè idonei, locus detur gratificationi, possitque Superior instituere vel confirmare, quem voluerit per text. in cap. cum autem 24. de *Jure Patronat.* ubi communiter Canonistæ, & signanter *Fagnanus num. 14. & 20.* cum de cætero, sicut laicus, recusatò unò nominatò, potest alterum nominare, ut patet ex *dd. Concordat. Franc. & dixit Rebuffus d. l. lit. i. ita laicus, rejectò primò præsentatò, potest & alterum præsentare, durante adhuc tempore, quod ipsi competit ad præsentandum, eumque Superior ex gratia instituere. Fagnan. in cap. cum autem n. 12. & 24. de *Jure Patronat.* Quod si in utroque casu, rejectò primò nominatò vel præsentatò, fuerit præsentatus vel nominatus secundus, non poterit tunc amplius tertius nominari vel præsentari, cum id tantum simul facere concedatur ad litteram textus in d. cap. cum autem, & ibi *Fagnanus num. 8. & Barbosa num. 2.**

QUÆSTIO II.

Quenam qualitates in personis nominandis desiderentur?

3. Enumeratae sunt aliquæ in hoc cap. à n. 17. & inter eos ex *Concordatis Gallia* desideratus est Gradus Magisterii seu Licentiatùs in Theologia, aut in utroque Jure, seu in alterutro &c. Et, quamvis alii Reges & Principes hisce concordatis non ligentur; observare tamen obligantur constitutiones Concilii Tridentini sèss. 22. de ref. cap. 2. ubi generaliter in persona assumenda ad Ecclesias Cathedrales exigitur, ut antea in Universitate Studiorum Magister seu Doctor in Sacra Theologia, vel Jure Canonico, meritò sit promotus, aut publicò alicujus Academiae testimoniò idoneus ad alios docendos ostendatur. In quo advertendum

esse, monet prælaudat. D. de Santis d. cap. 13. n. 18. quod non quilibet Licentiatùs sit capax Regiæ nominationis, sed ille tantum, qui cum rigore examinis ad hunc gradum ascenderit, hoc est, qui per DD. examinatus, & sinè examine ad Gradum non sit receptus, ut bene explicat *Rebuff. de Regia ad Pralat. nominat. cum rigore examinis &c.* Unde solliciti esse debent DD. ait idem Vir eruditissimus, quibus admissio ad hujusmodi Gradus incumbit, ne publica illa eruditionis ac capacitatis testimonia dentur iis, qui scientiâ & capacitate, quam Gradus præfert, debitò non sunt instructi.

Utrum nominandus in dogmatibus Eccl.

Quenam qualitates in personis nominandis desiderentur? 71

elestasticis adeò exercitatus esse debeat, ut, si quid contra ea attentaverit, à Rege vel Principe nominari, vel saltem nominatus admitti nequeat, donec eisdem dogmatibus obtemperaverit, ac Ecclesiæ satisfecerit? Inquit idem D. de Santis num. 193. & seqq. 13. atque ex eo, quod in nominando scientia Canonum desideretur, ut relatis pluribus canonicis documentis antiquioribus probat *Thomasin. de Benefic. p. 2. lib. 1. cap. 89. num. 6.*

cap. 90. num. 1. & 8. & cap. 91. num. 12. in casu, quò eis contravenit, concludit affirmativè: cum nulli Sacerdotum liceat quidquam facere, quod PP. possit regulis obviare cap. nulli 4. Dist. 38. & si non obtemperet, debeat esse alienus à munere Pontificalis officii cap. nulli fas est 5. Dist. 19. & *Novell. Justin. 6. cap. 1.* adducitque exemplum de Petro de Marca, ex simili causa ab effectu suæ nominationis suspensò.

CAPUT V.

De Collatione.

SUMMARI A.

1. Laicis non potest competere jus collationis. 2. & seqq. Neque, qui habet jus nominandi, habet etiam jus conferendi. 5. Beneficia, qua electus Episcopus in Germania tempore electionis habuit, sunt S. Pontifici reservata. 6. Alii qui dissentiant. 7. & seqq. Ipsorum fundamenta evertuntur. 12. Referuntur illi, qui reservationem extendunt ad beneficia Episcoporum, quorum provisio spectat ad alios quam S. Pontificem. 13. & seqq. Refutantur. 15.

& seqq. Adducitur *Matta*, volens, reservata esse beneficia, qua electus Episcopus ante confirmationem resignavit. 17. & seqq. Ipsius argumentis satisficit. 20. & seqq. Dilucidatur opposita *Regula Cancellaria. 25. & seqq. Objecta Rota decisa infringitur. 29. & seqq. Brevis descriptio processûs, qui super requisitis in promovendis ad Ecclesias Metropolitanas, & Cathedrales formari solet.*

QUÆSTIO I.

An Laicis jus collationis possit competere?

1. Resp. de Jure Communi sat certum esse, quod Laici non possint conferre nedum aliquam Dignitatem Ecclesiasticam sed etiam beneficium simplex: utpote cum jura ejusmodi spiritualia & Ecclesiastica à laicis nec possideri nec exerceri possint per textus complures in cap. nullus 11. & seqq. *XVI. quest. 7.* Hinc, si quis habeat jus nominandi, non perinde habet jus conferendi Ecclesiæ vel beneficium, ita ut concessio seu collatio, etiam si ab Ecclesiastico Patrono sit facta, ne quidem vim præsentationis obtineant per cap. ult. de *Jure Patronat.* ubi Abbas num. 2. D. de Santis cit. cap. 13. num. 112. qui adeò ve-

rum hoc esse dicit, ut, si etiam privilegia collationis beneficiorum essent Regibus concessa, restringi debeant ad jus præsentandi. *Matta de Jurisdic. p. 2. cap. 40. num. 19. 22. & 23. Gonzalez ad cap. praterea num. 1. & 7. de Jure Patronat.* Unde Superior vel alius, ad quem spectat confirmatio, non debet, admittere literas præsentationis, in quibus Patronus vel alius, habens jus nominandi, se vocat Collatorem Ecclesiæ, vel beneficii, aut utitur verbis, concessionem seu collationem importantibus. Abbas in d. cap. ult. de *Jure Patronat.* num. 5. Pirhing ad eund. tit. n. 28. de Santis d. l. n. 114.

QUÆSTIO II.

An, stantibus Germaniæ Concordatis, beneficia, qua electus Episcopus tempore Electionis habuit, fiant S. Pontifici reservata?

5. Constat ex iisdem Germaniæ Concordatis, in §. placet 3. omnia beneficia, qualiacumque fuerint, etiam si ad illa persona consueverint per electionem, seu quovis alium modum assumi, qua promoti per nos seu autoritate nostra (id est, Pontificia) ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, & Episcopatum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionis de ipsis factarum, nunc quomodocumque vacantia, aut in posterum vacatura &c. dispositioni & provisioni Apostolica reservari.

Quò non attentò, scripserunt aliqui, quod beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum non sint Apostolicæ Sedi privatimè quoad alios omninò Collatores, reservata, quando illa promotio seu provisio Episcopi fit per electionem Capitularem: quia scilicet, qui promoventur per electionem Capituli, dum jus acquirunt ex ipsa electione per cap. cum inter 21. de *Elect.* non dicuntur propriè à Sede Apostolica promoti, cujus postmodum impertita confirmatio pro actu justitiæ

ria necessario habenda, & sic considerata venit dispositio Juris Communis *cap. cum in causis* 7. §. *cum vero de Elect.* per quod Ordinarii Collatores possunt beneficia sic vacantia conferre, ut notat Glossa in *Clem. 1. v. collatio ut lite pend.* At contra hos pugnat manifesta Rotæ Rom. decisio, quæ est §. 18. in *recent. p. 19. num. 5. & seqq.* siquidem, tametsi ad Episcopatum quis promoveri dicatur per electionem Capitularem, hæc tamen promotio non est perfecta aut rigorose talis, utpote juxta *cis. cap. cum inter* 21. *de Elect.* habens solummodo cum sponsalibus de futuro aliquam similitudinem, neque

8 jus aliud, quam ad rem tribuens; perfecta autem, propria, & completa promotio provenit à Sede Apostolica, cujus est electionem examinare, & si Canonica fuerit, electum confirmare, ac mediante Confirmatione ipsi jus in re conferre per eam, quæ dicta sunt in *cap. 1. hujus libri à num. 48.* Nihil dicendò, quòd S. Pontifex juxta Concordata §. *item placet* 4. possit etiam ex causa rationabili & evidenti electum non confirmare, sed vel de illo vel

10 de alio providere. Cæteroquin admit- tendum foret, in Concordatis Germaniæ aut sibi invicem contraria reperiri, aut otiosa & inutilia: cum enim in §. *placet* 3. essent reservata dignitates & beneficia, quæ promoti ad Episcopatus Germaniæ tempore promotionis possident; in §. autem subsequenti 4. omnibus Germaniæ Capitulis Cathedralibus liberum jus eligendi Episcopum adstruatur: utique subsequens hæc dispositio deberet prorsus invertere anteriorem, aut reddere nugatoriam, si verum esset, quòd electi Germaniæ Episcopi sint à Capitulis Cathedralibus promoti, non vero à S. Pontifice: quippe cum hoc modò cessaret omnis reservatio. Rota d. l. num. 13.

11 & 14. Et sanè, si quis Extravagantem ad Regimen, prout inseritur Corpori Juris in *sic. de Prob.* studiosè legat, facile deprehender, illius Authorem, Benedictum XII. tantum loqui de beneficiis, quæ à suo Antecessore Joanne XXII. & à seipso vi reservationis ob promotionem ad majores dignitates conferri

debuissent; neque eorum reservationem ultra, quam vixerit idem Benedictus, durasse: adeoque non potest intelligi de alia promotione, nisi quæ ab ipso Papa immediate peragitur.

Equidem alii longius protendunt citatum 12 passum ex Concordatis, atque etiam ea beneficia Sedi Apostolicæ reservata volunt, quæ obtinebant promoti ad Episcopatus per illos, qui ex indulto Apostolico jus plenariæ collationis habent, nullâ aliâ confirmatione ex parte S. Pontificis requisita: idque deduciputant ex d. §. *placet* 3. Concordat. ubi non tantum reservantur beneficia promotorum immediate per S. Pontificem in verb. *per Nos*, sed etiam mediatè in verb. *sive auctoritate nostra*, id est, mediante indulto, quod auctoritate Apostolica concessum est. Sed in alleg. 13

Rotæ decisione in num. 6. tametsi hoc argumentum fuerit propositum, id tamen in quæstionem noluerunt DD. assumere; & rectè: quia, si quis immediate ad Episcopatum promoveatur ab alio, quam Papa, atque ab eo non tantum nominetur, sed etiam confirmetur, plane non potest in rei proprietate dici promotus à S. Pontifice vel Sede Apostolica; nisi velimus asserere, omnes omnino, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum aut dignitatem à quocunque, sive mediante præsentatione, sive electione, sive collatione consequuntur, à Sede Apostolica esse promotos, à qua, tanquam fonte totius Juris Ecclesiastici, jus providendi de beneficiis & dignitatibus originaliter profluit. Satem hæc extensio ne- 14 quit habere locum in beneficiis, quæ possident quatuor Episcopi, ab Archi-Præsule & Metropolitano Salisburgensi promoti: cum enim jus plenariæ collationis non tam ex indulto Apostolico quam jura Metropolitico quoad hosce Episcopatus Salisburgensi Archi-Episcopo competat, ut dicitur fatetur Clemens VII. in sua Bulla, relatâ in *Hist. Salisburgens. pag. 1004.* præfati Episcopi non possunt in sensu Juris dici fuisse promoti auctoritate Sedis Apostolicæ, sed auctoritate Metropolitica, penes Archi-Antistites Salisburgenses residente.

QUÆSTIO III.

An, si electus Episcopus sua beneficia, sive sint electiva sive non-electiva, resignet ante confirmationem, fiant S. Pontifici reservata?

15 **M**atta de *Caus. Consistoriali* sect. 19. §. 5. n. 38. cum aliis, quos nominavi hoc *cap. n. 36.* asserit, primum effectum electionis esse, quòd beneficia quæcunque electi in Episcopum apud Sedem Apostolicam vacare faciat. Extravag. ad regimen de *Præbend. & Reg. 26.* Cancellar. Apostol. Rota apud Brand. ad Concordat. German. quæst. 12. notab. 3. Quod

provisioni sint reservata. Aegid. decis. 498. & intra tempus electionis & confirmationis electus confirmandus beneficia resignare minime potest, per Jura supra citata.

Mihi hæc Jura non sunt incognita, utpote jam relata, & cum responsione congrua diluta in *cis. hoc cap. à num. 39.* Ut tamen, quæ in eodem loco breviter comprehensa erant, paulò latius extendantur, inprimis attingere juvat Extravag. ad Regimen, ipsis Concordatis insertam, confirmatamque. In hac beneficia, etiam electiva, Sacra Sedis reservantur, quæ promoti (ut loquitur Pontifex)

tifex) per nos seu auctoritate nostra ad Patriarchatum, Archi-Episcopatum, & Episcopatum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum.

19 Jam verò patet ex num. 3. per promotionem veram & perfectam, nomine Sedis Apostolicæ factam, intelligi confirmationem, quæ, examinata & probata electione, à Papa expeditur. Ergo, si electus in Episcopum, antequam Confirmationem adipiscatur, beneficia sua resignet, tempore promotionis illa non amplius obtinet; consequenter ejusmodi resignata beneficia vi & virtute d. Extravagantis non sunt Apostolicæ provisioni reservata.

20 Quod attinet Regulam Cancellariæ Apostolicæ, quæ apud alios est 27. aut 28. verum equidem est, quòd illa cassas & irritas pronuntiet quascunque collationes & provisiones beneficiorum, quæ per promouendos vel assumendos ad quascunque Prelaturas inter illarum vacationis & hujusmodi promotionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis, ubicunque resignari, vel alias dimitti contigerit: attamen in casu proposito eò minùs inducit reservationem ejusmodi beneficiorum, quòd à pluribus defenditur, stantibus Germaniæ Concordatis, non admitti alias reservationes, ac quæ ibidem nominatim fuerunt expressæ: beneficii autem electivi reservatio in nostris terminis non legitur in Concordatis nominatim expressa; indeque in Germania locum habere non poterit. Et profectò, si præfata

21 Regula vim aliquam sortiretur in Germania, deberent etiam illa beneficia resignata esse reservata, quæ obtinet electus ad illas quocunque Prelaturas, quarum confirmatio ad Summam Sedem immediate non spectat, propter verba generalia ad quascunque Prelaturas &c. cujusmodi reservatio ab ipsis Autoribus contrariæ sententiæ vix admittetur.

22 Neque dicas: per Concordata non tolli omnes Regulas Cancellariæ, præsertim mox allegatam, utpote quæ solum est declaratoria Extravagantis ad regimen, in Concordatis confirmata.

24 Resp. enim, per Concordata non tolli alias Cancellariæ Regulas, ac quæ novas, &

in Concordatis non comprehensas reservationes, inducunt: atqui ex dictis liquefit, per allegatam Regulam induci novam reservationem, in Concordatis non comprehensam, quatenus non tam declarat, quam potius extendit *cis. Extravagantem*, dum reservationem, quæ ibidem ad sola beneficia, promotionis seu confirmationis tempore obtenta, coarctatur, ad ea quoque beneficia, quæ promotionis seu confirmationis tempore non amplius habentur, ampliat, & dilatat, sicque novam reservationem reipsa inducit.

Deveniendò ad decisionem Rotæ, quam 25 asserit Branden ad Concordat. post quæst. 12. notab. 3. fatetur ipsamet, in prima propositione causæ, factâ Anno 1588. die 9. Martii, Dominos conclusisse, Præposituram Paderbornensem non esse reservatam, ex ea ratione, quòd *cis. Reg. Cancellariæ* non deroget Concordatis, in qua similis reservatio haud reperitur; ubi autem causâ iterum propositâ die 30. Maji eodem annò Dominos à decisio recessisse, asserit idem Branden, rationem communem Dominorum non fuisse, ait, *cis. Regulam* (licet aliqui in ea se fundaverint) sed quia existimabant, eandem Præposituram, veluti primam dignitatem post Pontificalem, in ipsis Concordatis esse reservatam; non obstante, quòd per speciale indultum facta sit electiva: ex quo enim in Concordatis antea disponitur de beneficiis electivis, & postea in §. *de cæteris vero* subijcitur exceptio de prima dignitate post Pontificalem, intelligitur etiam de electivis: quia exceptio debet esse deregula.

Quam ipsa tamen ratio- 27 nem, ut ingenuè confitear, non satis assequor: neque enim *cis. §. de cæteris vero* intelligi potest de Præposituris electivis, quæ hoc ipsò, quòd earum provisio spectet ad electionem Capituli, non possunt ad provisionem & reservationem Apostolicam pertinere. In- 28 terim in ordine ad nostrum propositum sufficit, quòd per sæpe *cis. Reg. Cancellariæ* beneficia, ante confirmationem ab electo Episcopo resignata, etiam in sententiæ Rotæ Romanæ non efficiantur reservata.

QUÆSTIO IV.

Qualiter processus formentur super requisitis in promovendis ad Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias?

29 **S**i quis ad Ecclesiam Metropolitanam aut Cathedralē electione, postulatione, nominatione, aut aliò quovis modò promoveatur, ac confirmatio spectet ad Sedem Apostolicam, priusquam ea concedatur, formatur processus super virtutibus & qualitatibus, ætate, legitimis natalibus, Ordine Sacro, & scientia promovendorum juxta formam traditam in constitutione Gregorii XIV. editâ 1. Junii 1591. quæ incipit: *onus Apostoli-*

30 *ca &c.* Et quidem, si processus conficiendi sint extra Romanam Curiam, hoc munus P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonice-Civili.

pertinet ad Legatos Sedis Apostolicæ seu Nuntios provinciarum in locis, in quibus commorantur; in quorum defectum ad Ordinarios personarum promovendarum; & his etiam deficientibus, ad Ordinarios viciniores devolvitur; debeatque hic ordo gradatim observari, nisi Romano Pontifici placuerit, per speciale mandatum alicui hoc officium committere: quò casu delegatus in principio processus de mandato speciale mentionem & fidem facere tenetur.

Sin processus in Romana Curia formetur, 31 K &